Quod literis tuis, Virorum præstantissime, tardius respondeam, iniquitati temporum tribuas velim. Voluntas certe ad te scribendi nunquam sed occasio defuit; quam tamen, ut primum sese obtulit, avide arripui. Te cum D. Fritagio inter amicos hilariter agere gaudeo, Deumque precor, ut quemadmodum vos patriæ salvos ac incolumes reddidit, ita deinceps omnes actiones vestras fortunet, & si ita visum fuerit, felices, omniq[ue] bonorum genere cumulatos ad nos iterum reducat. Ego imprimis, amicorum desideratissime, reditum tuum ardenter expecto, notumque mi diem illum quo iterum te videre conspectuque tuo frui contigerit, albo notarum lapillo. Interea, dum tu a nobis abes, omni auxilio destitutus, in vetere pistrino, quo fatalis quædam me detrusit necessitas, fatiscens, oneri laborique succumbo; nec auxilii vel liberationis spes usque affulget. Vivenus vero, albæ gallinæ filius, qui idem aliquando nobiscum volvebat saxum, e specula Amstredamensi prospectans, nos despicere videtur. Is cum nuper mihi adfuisset, multa præ se tulit hilaritatis signa, conditionemque qua nunc fruitur præstantem multis verbis depraedicavit. Nec id immerito. Nactus enim sibi est, (vide quanta hominis felicitas!) Mecænatem magnum studiorum Mathematicorum Arabicorumque fautorem, & qui ad ~~studia~~ illa promovenda sumtus liberaliter ipsi suppeditare paratus est. Quin & ad iter in Syriam suscipiendum se [illegible] strenue accingit, & nisi remora aliqua objiciatur, intra [illegible] mensis illud ingressurus est. Quod si nobis stat sententia iterum in Galliam proficisci, hac Aestate Lutetiam Parisiorum usque vos comitabitur, inde Massiliam se conferet, ubi conscensa navi Ligusticum mare sulcabit, Genuam excursionem faciet, & inde cum mercatoribus, qui eo e plurimis Christiani orbis partibus magno numero conveniunt, [illegible] Aleppum versus [illegible], ubi Arabica studia maxime florere dicuntur, vela facturus. Hæc ipsi animo destinata sunt, modo nobis Deus annuerit. Pluribus te obtundere supersedeo. Vale & vive nostri memor.

T.T. addictissimus

[illegible signature]

Salutabis nomine meo D. Fritagium, Altingium, Tobiam Andream.
Et iterumque salutabit, a Barone & Comitibus.
Lugduni Batavorum 30 Julii.

A Monsieur
Monsieur Appolde
Gouverneur de
Monsieur Freitag
demeurant pour
le present
à Emden

1642. Jul. 30.